

THESIS XXXVII.

Cum poenas Deus extraordinarias decernit luendas in hac vita, potest quandoque homo per alia opera poenalia aut etiam simpliciter per merita et orationes obtinere sibi atque etiam aliis remotionem earum, quandoque vero id non potest seu Deus hanc commutationem non vult acceptare, etsi fructu suo non careant bona opera libere oblata.

I. Sunt in hac vita mala, quae ordinario cursu naturae continentur, ordinario, inquam, sensu historico, h. e. frequenti et expectato, quae nemo vitare potest et per se citra rationem peccatorum actualium homines affligunt; hae dicuntur poenae ordinariae, poenae quidem ratione saltem habita peccati originalis, ordinariae, quia ex ipso ordinario naturae cursu obveniunt. Sunt alia mala, quae identidem ira Dei propter nequitiam hominum effundit in peccatores, eaque vel non exigentur ipso naturae spontaneo cursu, vel si iam in causis naturalibus sunt determinata, ea 1° non sunt ordinaria: 2° eadem possent impediri ac impedirentur reapse a Deo citra miraculum, si peccata non forent, quibus existentibus e contrario ea esse vult. Huiusmodi fuit diluvium, conflagratio Sodomorum, subversio Ninive, mors praematura filii Davidis, huiusmodi sunt publicae quaedam calamitates sterilitatis, pestilentiae, bellorum, etc. socialesque perturbationes. Advertendum quod haec mala punitiones quidem sunt peccatorum: verum 1° huc etiam spectant ut peccatores admoniti ad cor redeant et ad poenitentiam adducantur: 2° cum publicae sunt calamitates, his non solum mali subsunt, sed et boni, qui cum illis vivunt; quamvis pro his forte possint rationem poenae non habere, sed occasio sint certe plurium exercendarum virtutum. Hinc manifestum est quod etsi Deus haec mala absolute decernat, inferatque etiam bonis et optimis viris, nolens eorum precibus ac meritis flecti ad illorum cessationem, finis semper adest dignus Deo in sancendis decretis talium inferendorum malorum.

Quaeritur ergo utrum possit homo vel precibus vel meritis vel aliqua alia poenali satisfactione libere assumpta redimere huiusmodi extraordinarias poenas idque assequi ne inferantur vel prius desinant quam iusto Dei iudicio decretum foret. Non est tamen quaestio de potestate absoluta, sed de potestate, quae componatur cum divina voluntate acceptandi libera hominum bona opera liberamve poenitentiam loco illarum poenarum, quas decreverat. Quaestio idcirco huc redit an velit Deus paratusque sit orationes, merita, satisfactionesque

libere assumptas, cum saltem certum gradum dignitatis sint assecutae, acceptare loco poenae extraordinariae a se decretae, an non. Responsio est; identidem quidem Deum velle compensationem huiusmodi acceptare, identidem autem nolle sed absolute eam poenam decernere.

II. Probatio primi. Quoniam de voluntate libera Dei agitur, ea non nisi testimoniis ipsam manifestantibus demonstrari potest. Iam vero 1° conferantur haec ex Scripturis. Gen. XVIII. 23. seqq. Deus abstinisset propter paucorum iustorum merita a conflagratione Sodomorum. Ionae III. 10. Deus pepercit Ninivitis et misertus est super malitiam, quam locutus fuerat ut faceret eis, et non fecit, quia conversi sunt de via sua mala. Tum generales prostant hac de re promissiones Dei in Scripturis populo suo. 2. Paral. VII. 13. Si clausero caelum, et pluvia non fluxerit, et mandavero, et praecepero locustae, ut devoret terram, et misero pestilentiam in populum meum: conversus autem populus meus, super quos invocatum est nomen meum, deprecatus me fuerit, et exquisierit faciem meam, et egerit poenitentiam a viis suis pessimis; et ego exaudiam de caelo, et propitius ero peccatis eorum, et sanabo terram eorum. Ierem. XVIII. 7. Repente loquar adversus gentem et adversus regnum, ut eradicem, et destruam, et disperdam illud: si poenitentiam egerit gens illa a malo suo, quod locutus sum adversum eam, agam et ego poenitentiam super malo, quod cogitavi ut facerem ei. Daniel quoque idem spondet Nabuchodonosori, quem poena specialis ei a Deo infligenda manebat. IV. 24. Quam ob rem rex consilium meum placeat tibi, et peccata tua eleemosynis redime, et iniquitates tuas misericordiis pauperum: forsitan ignoscet delictis tuis. Ait Michaelis verba Danielis vertenda esse: abrumpe (פרק enim primo est *abrupit, diffregit*; et צדקה est primo *iustitia*) per iustitiam peccata tua, h. e. cessa a peccato et incipe vitam novam. Verum 1) פרק est etiam *liberavit, redemit*: 2) accepto etiam eo verbo in primitiva significatione, non tamen perinde est *abrumperere peccata*, et *abrumperere seriem peccatorum*: abrumperere enim peccata per se est illa destruerere, tollere; quod quidem accedit ad eum sensum, qui est redimere peccata. 3) Vulgatus, LXX. Arab. Syr. reddunt *redime*. 4) Atque ita universim Patres et Concilia interpretantur. Et sane consilium hoc Danielis cum praecedentibus cohaeret, *quam ob rem*: res autem superius enuntiata est poena temporalis, quam Deus Nabuchodonosori minatur propter peccata sua; sensus ergo obvius verborum Danielis est: ut te liberares ab hac poena sive ut huius poenae reatum deleas, adhibe eleemosynas et misericordias pauperum: quod et ab postremis verbis satis indicatur: *forsitan ignoscet peccatis tuis*;

nam poena temporalis huius vitae aliquando absolute decernitur, ita ut nolit Deus pro ea compensationem accipere, quemadmodum contigit Davidi pro morte filii 2. Reg. XII. 16. seq. culpa autem semper remittitur, cum illud homo praestat quod praestare debet. Itaque quod hic directe et immediate intendit Daniel, est liberatio ab ea poena temporali, pro qua obtinenda suggerit regi eleemosynas (צדקה) est etiam liberalitas, beneficentia, eleemosyna; hunc vero sensum flagitat verbum chaldaicum מרחם misereri in hemistichio sequente) et misericordias erga pauperes (miserendo pauperibus): quibus misericordiis peccata redimat. Peccatum vero in Scripturis non infrequenter accipitur pro reatu poenae propter culpam. Gen. XLIII. 9. Deut. V. 9; 3. Reg. I. 21. Indirecte autem et implicite suadet quoque Daniel Regi ut culpae remissionem procuret; asonum est enim retento affectu ad peccatum exorare a Deo veniam poenae peccato eidem decretae. Constat ergo ex his posse hominem per opera sua consequi remissionem extraordinariae poenae temporalis luendae in hac vita. Atque ita quoque obtinuit remissionem talis poenae Achab. 3. Reg. XXI. 29.

Idem 2^o constat, si sensus Ecclesiae consulatur. Cum enim imminet vel adventant tales extraordinariae poenae, hortatur Ecclesia fideles ut orationibus operibus bonis ac poenitentia placare velint divinam iustitiam atque ita avertere a se ipsis huiusmodi mala; censeat ergo Ecclesia fieri id quoque posse ut talium poenarum remissio obtineatur a Deo, ideoque credit Ecclesiam quod Deus identidem paratus sit acceptare tales compensationes.

Porro si exempla e Scripturis allata perpendas, facile intelliges quod ad obtinendam harum poenarum remissionem non exigit Deus ut iustus iam sit qui compensationem aliquam exhibiturus accedit, sed et ipsi peccatores, dum poenitentiam agunt, possunt flectere divinam misericordiam ut cum remissionem obtinent peccatorum, etiam huius poenae extraordinariae condonationem consequantur. Et sane in hac hypothesi non agitur de remissione poenae debitae peccato ita ut nisi illa poena subeatur, non possit amplius puniri et debitum poenae eo ipso exstinguatur, sed solum de remissione alicuius poenae extraordinariae, sine qua etiam vindictam criminis sumere Deus potest vel per eam ipsam satisfactionem, quam homo libere offert vel aliis poenis sive in hac sive in altera vita. Iam vero status gratiae, si requiritur ad satisfactionem, ideo requiritur quia agitur de ea satisfactione, qua ex condigno homo meretur, ideoque exigit extinctionem debiti, ut Th. seq. videbimus.

Rursus si ea exempla perpendantur, liquebit pariter quod ad flectendam divinam pietatem ne has poenas inferat, opus per se non

est operibus proprie satisfactoriis, sed merita et orationes iustorum sufficere. Patet id ex iis, quae Deus Abrahamo dixit occasione imminenti subversionis Sodomorum.

III. Probatio secundi. Nequit homo aliquando per opera sua redimere poenas extraordinarias, h. e. Deus quandoque eas absolute decernit ita ut, quantumvis homo faciat, eas nolit relaxari. Id rursus liquet exemplis. Nam David (2. Reg. XII. 14. seqq.) non impetravit remissionem poenae positae in morte filii sui: Moyses pariter non obtinuit remissionem poenae pro peccato diffidentiae (Deuteron. XXXII. 49-51): Samuel nequivit flectere misericordiam Dei in Saulem, ut eum regnare super Israel concederet (1. Reg. XVI. 1.), nec Noe, Daniel, Iob, si vixissent, potuissent flectere Deum ad misericordiam pro terra Iuda, ut testatur Deus penes Ezech. XIV. 14. seqq. Id quoque historia Ecclesiae persuadet, ex qua constat non semper impetratum esse ut flagella Dei averterentur. Ratio est, quia integrum est Domino punire peccata, sicut vult: potest autem suam mercedem reservare omnibus operibus bonis, quibus sua misericordia exoratur.

THESIS XXXVIII.

(q. XIV.)

Pro debito poenae manente post culpam remissam potest iustus in hac vita per opera bona poenalia libere assumpta, vel per poenas a Deo immixtas libere acceptatas, condigne satisfacere.

I. Quaestio nunc est de ea satisfactione, qua poenae temporalis debitum exstinguitur, ut idcirco iuri suo cedat Deus vindicandi iniurias sibi illatas. Non est quaestio de facultate, quae hominibus competat per opera sua bona removendi a se aliquas speciales poenas, quae fuit quaestio praeced. Thesis.

Itaque *satisfactio*, ut Th. XXXVI. diximus, proprie est actio quaedam iustitiae, cuius proprium est aequalitatem constituere; et quamvis (ait Suarez D. 37) interdum idem quod restitutio significare videatur, proprie tamen et rigore sumpta versatur in recompensandis iniuriis illis, quae in actionibus potiusquam in rebus consistunt; et a restitutione differt, quia restitutio significat actionem, per quam res aliena domino redditur, satisfactio vero actionem indicat, per quam iniuria compensatur, quae in personam aliquam redundavit. Iniuria Deo illata per peccatum mortale infert inimicitiam Dei et debitum aeternae poenae: nequit autem, ut iam monuimus, peccator per actionem suam exhibere Deo compensationem eam,